



Georgius apud Sueuos in Eſeingē natus & e-
ducatus est. Is à teneris annis operā literis de-
dit, & liberales artes egregiè didicit. postea Theo-
logiæ incubuit, atq; in ea facultate plurimū pro-
fecit. huic eruditioni coniunxit uitæ integratam
atq; naturalem eloquētiā. Id cum Albertus Ba-
uarię princeps intellexisset, eum ad se uocauit, atq;
concionibus suę curiæ præfecit. Itaq; Georgius eā
uitæ conditionem suscepit, atq; uitia hominū ma-
gno zelo corripit. quin etiam ob peruersos homi-
num mores uenturam Dei iram prənuntiat & pœ-
nitentiam urget, id quod tanta ſeueritate & certi-
tudine, ut à multis instar Prophetæ in Bauaria ha-
beatur. Vnde cum Monachij 1565 eſsem, doctissimi uiri eum mihi commenda-
runt, atq; uarias eius uirtutes prædicarunt. Anon.